

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1029

1027

1033

1023

1038

1018

1078

0978

0928

0528

0028

Ende

Anfang

456

delectabilis legenda in Vitis patrum, quomodo multis annis
conversata fuit in monasterio virorum, incognita, quod esset
mulier et quomodo patientissime se habuit, quando de impraeg-
natione puellae cuiusdam inculpata fuit et pro hoc facto rigi-
dissimam poenitentiam tamquam nocens sustinuit, in qua et
diem extremum clausit et post inauditis miraculis claruit et
hic in hoc sanctissimo loco habere capellam meruit.

Demum secundam capellam S. Helizaei ingressi sumus et
orationibus praescriptis decantatis indulgentias (†) recepimus.
Hic Helizaeus vivus maxima miracula fecit et mortuus mor-
tuum suscitavit, ut habetur 4. Reg. XIII. Creditur etiam,
quod ad imitationem magistri (45 a) sui, Heliae, cuius disci-
pulus erat, hunc montem sanctum crebrius visitaverit. Dicunt
etiam, quod translato Helia in curru igneo, sicut dicitur 4. Reg.
II., quod Helizaeus huc perrexit et eum in specu suo qua-
sivit putans eum ductum ad hunc locum, vel admisit, ut viri
hic eum quaererent. De quibus habetur 2. Reg. II.

Post hoc tertiam capellam S. Heliae ingressi sumus et ora-
tionibus lectis indulgentias accepimus duplicates (††), in capella
scilicet in specu suo, qui est retro altare, in quo zelosissimus
Domini vates Helias demoratus est, postquam memorabile
illud peregit facinus de confutatione prophetarum Baal et in-
terfectione 470 virorum, quos interfecit in torrente Cison; ut
diffuse habetur 3. Reg. XVIII. Quo comperto Jezabel nequis-
sima mulier juravit decapitare S. Heliam, qui timuit et per
deserta fugiens in hoc specu absconditus mansit: 3. Reg. 19. longa
de his habetur historia. Est autem specus S. Heliae caverna
in petra arcta, in qua homo non potest erectus stare sed aut
incurvatus aut genubus flexis aut sedendo potest ibi manere.

His visis egressi sumus et supra ecclesiam minacem pe-
tram, grandem, rotundam dependere vidimus, de qua dicitur,
quod corvus cibum, quem S. Heliae portabat, super lapidem
hunc ponebat, ad quem S. Helias de specu scandens cibem
tollebat. Solebat enim Deus providere prophetae sancto per
ministerium corvorum, ut habetur 3. Reg. 17., qui portabant
ei mane et vespere panem et carnes.

Consequenter progressi in montem Dei Oreb scandimus.
Porro in ipsa semita jacet grandis fractura et petrae pars,

